

Joachim Stockmann

Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Joachimus Stockman, Phil. & Med. D. & Prof. Ad Exequias Quas ... Vir Dn. M. Christianus Michael Pastor Jacobaeus ... puero Christiano, filio suo desideratissimo, Hodie ... paratas cupit, Omnes omnium ordinum Cives Academiae amanter invitat

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770662285>


Druck Freier  Zugang




Stockman, J. ,
in
Chr. Michael.

Rostock, 1650.

60





PROGRAMMA

151.

Quo
RECTOR

Academiæ Rostochiensis

JOACHIMUS STOCKMAN

Phil. & Med. D. & Prof.

Ad Exequias

Quas

Reverendus & Clarissimus Vir

DN. M. CHRISTIANUS
MICHAEL Pastor Iacobæus,

optima indolis & spei puero

CHRISTIANO, filio suo desideratissimo,

*Hodie hora prima in templo Jacobæo
paratas cupit,*

omnes omnium ordinum Cives Academiæ
amanter invitat.



✻(o)✻



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. L.

60

MIseram hominis conditionem, cum alii passim autores, tum Plinius pro-æmio libri septimi admodum graphice exprimit, his verbis: Hominis quidem causa videtur cuncta alia genuisse natura, sed magna & sæva mercede, contra tanta sua munera: ut non sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior noverca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum, aliena alienis velat opibus; cæteris variè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, seras, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera. Truncos etiam arboresq; cortice interdum gemino à frigoribus & calore tutata est. Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus statim, & ploratum, nullumq; tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus vitæ principio. At Hercule, risus præcox & celerrimus ante quadragesimum diem nulli datur. ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: itaq; infelicitè natum jacet, manibus pedibusq; devinctis, Flens, animal cæteris imperaturum: & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est. *Heu dementiam ab iis initiis existimantium ad superbiam se genitos.* Prima roboris spes, primumq; temporis munus quadrupedi similem facit. Quando homini incessus? quando vox? quando firmum

mum cibus os r. quam diu palpitanis vertex, tutumque in-
ter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Jam mor-
bi tot, atq; medicinae tot contra mala excogitatae, & haec
quoq; subinde novitatibus victae. Caetera sentire na-
turam suam, alia pernicitatem usurpare, alia praepetes
volatus, alia vires, alia nare: Hominem scire nihil sine
doctrina, non fari, non ingredi, non vesci: breviterq;
non aliud naturae sponte quam flere. Itaq; multi exti-
tere, *qui non nasci optimum censerent, aut quam ocysime
aboleri.* Uni animantium luctus est datus, uni luxuria,
& quidem innumerabilibus modis, ac per singula
membra: uni ambitio, uni avaritia, uni immensa vi-
vendi cupido, uni superstitio, uni sepulturae cura, atq;
etiam post se de futuro. Nulli vita fragilior, nulli re-
rum omnium libido major, nulli pavor confusior,
nulli rabies acrior. *Idem alibi,* incertum ac fragile ni-
mirum est hoc munus naturae, quicquid datur nobis:
malignum vero & breve in iis etiam, quibus largissi-
me contingit, universum utiq; aevi tempus intuenti-
bus. Quid, quod aestimatione nocturnae quietis, dimi-
dio quisq; spatio vitae suae vivit? Pars aequa morti si-
milis exigitur, aut poenae, nisi contingit quies. Nec re-
putantur infantiae anni, qui sensu carent, nec senectae in
poenam vivacis. Tot periculorum genera, tot morbi,
tot metus, tot curae, toties invocata morte, ut nullum
frequentius sit votum. *Natura vero nihil hominibus bre-
vitate vitae praestitit melius.* Hebescunt sensus, membra tor-
quentur, praemoritur visus, auditus, incessus, dentis etiam
ac ciborum instrumenta, & tamen vitae hoc tempus an-

numeratur. Notabilia hæc sunt Plinii verba, notabiliora sanè erunt verba Augustini, qui edisserens exclamationem Jacobi Apostoli cap. 4. *Quæ enim est vita nostra?* vita inquit, hæc, est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa. Quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aëra morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactitant, paupertas dejicit, juvenus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit & post hæc omnia mors interimit, universis gaudijs finem imponit, Ita cum esse desierit, nec fuisse putetur. & alibi Idem: amas istam vitam, ubi laboras, curas, fatigis, anhelas & vix enumerantur, quæ necessaria sunt in misera vita. Seminare, arare, novellare, navigare, molere, coquere, texere & post hæc omnia finire habes vitam. Ecce quæ pateris in misera ista quam diligis vita, & putas te semper victurum & nunquam moriturum? Tempia, saxa, marmora ferro plumboq; consolidata, tamen cadunt, & homo nunquam putat se moriturum? dies mali sunt. Non sunt mali? quos agimus in corruptela hujus carnis, in tanta vel sub tanta sarcina corruptibilis corporis, inter tantas tentationes, inter tantas difficultates, ubi falsa voluptas, nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas avida, tristitia arida? Ecce quam malos dies, & nemo vult finire dies malos, multumq; rogant hinc Deum homines, ut vivant, Quid est autem diu vivere, nisi diu torqueri? quid est aliud diu vivere, nisi quam malos dies malis diebus addere? Quod

Quod si tam misera est & tam variis vitis obnoxia no-
stræ vitæ conditio, ut tantæ nobis expectandæ & tole-
randæ veniant calamitates, Quod si rectè dixit Augu-
stinus, diu vivere nihil aliud esse quam diu torqueri,
quam malos dies malis diebus (& peccata peccatis) ad-
dere: Quod si Plinius rectè dixit naturam hominibus
brevitate vitæ nihil præstitisse melius, itemq; non nasci
optimū esse, aut quam ocyssime aboleri, id quod etiam
captive Solennis Mida victori, quid in mundo optimū
esset interroganti, respondisse legitur; Quis lacrymis, quis
non potius piis votis & gratulationibus prosequetur
eos, qui maturius hisce ærumnis defunguntur. Durum
quidem videtur, præsertim parentibus, dictum lyrici
Venusini. *Mors & fugacem persequitur virum,*

Nec parcat imbellis iuventa

Poplitibus, timidoq; tergo.

Et quod inde non adulti tantum juvenes, viri, senes
mortis falce cadant, sed modo etiam renelli vix in lu-
cemediti vel ab uberibus matris adhuc dependentes
infantuli, modo lepidi terræ affigere gressus & fari in-
cipientes pueruli, modo pulchre pubescentes ephebi,
modo in primo ætatis flore (floris instar) extinguntur
optimæ spei ac bonæ indolis adolescentuli. Tolerabili-
us vulgo quidem videretur, si ijs tantum contingeret
sine magno discrimine mori, qui vivendo aliquo usq;
processerunt! sed quis nescit omnes unam manere no-
ctem & semel calcandam esse viam lethi, Eamq; sortem,
serius, ocyus cortyna exire & filum vitæ etiam sapius
tacito fato antequam opineris, abrumpi, Quis nescit

non tantum belli, naufragij tempestatum, led & mor-
borum & Epidemiorum inprimis morborum commu-
nia esse pericula, puerisq; cum variolarum, tum mor-
billorum. Qui quando populariter grassantur aliàs &
aliis incorporibus mitiores *ευνθεστεροι* & *επεικεστεροι*, alias *λημω-
δεις* & *ολεθρειοι* perniciosi & pestilentes deprehenduntur,
unde fit, ut non omnes ex hoc malo eluctentur ægri &
sæpius ex amplexu parentum spe citius eripiantur dul-
cissima pignora; Cæterum, (cujus occasione hæc scri-
buntur) *μωμελις* noster CHRISTIANUS MICHAEL
optimæ indolis & magnæ spei puer ex secundo conju-
gio parentis primogenitus filius ad hanc vitam natus
est anno 1641. 21. Novembr, patre Viro Reverendo &
Clarissimo Dn, M. CHRISTIANO MICHAELE,
Pastore Ecclesiæ Jacobææ vigilantissimo, meritisimo,
& Reverendi ministerii Seniore, Matre WENDULA
EGGERS Fœmina matronalium virtutum decore or-
natissima, Avus Paternus fuit GREGORIUS MI-
CHAEL, Vir optimus civis olim Suetensis, Avia
MARGARETHA SEEFELDES, quæ ante biennium
hîc apud filium naturæ debitum persolvit Matrona pia
annos 77. nata, Avus Maternus JOACHIMUS EG-
GERS, Civis quondam primarius literatus & Cere-
visarius Rostochiensis, Avia ANNA CORFINIA
fœmina dum viveret, virtutum ornamentis conspicua.

Hisce parentibus & Majoribus natus noster pd.
Christianus, Christiano ritu Christo Salvatori, arbori
vitæ, per Sacramentum regenerationis mox insertus
est, & ab ipsis incunabulis Parentum & Præceptorum
cura

probitatisq; radios ex sese læta spe sparsit, donec, ipsis
Calendis Januarii, quibus annum hunc novum in no-
mine Jesu nunc nudius tertius auspicati sumus, de vo-
luntate Dei, summi vitæ & mortis nostræ arbitri, va-
riolarum incursum naturam & Medici artem superan-
tium prostratus è vivis excessit, & animulam suam in-
tergemitus & Preces Parentum placide reddidit Deo
trinuni

Creatori

Redemptori

Sanctificatori suo,

Quis huic, quis suam felicitatem invidet puero? A-
postolus passim vitam humanam comparat curricu-
lo, præcipuè. Cor. 9. quando ait, an nescitis quod qui
instadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus ac-
cipit præmium, sic currite ut comprehendatis. Ubi
alludit ad Corinthiorum ludos Istmos, qui inter græ-
corum Olympia, Pythia, Nemea, insigniora & quasi
sacra certamina habebantur, sicut etiam à Pindaro
ἀγῶνες ἱερῶς vocantur; Certabatur illic cursu, cæstu, sal-
tu, disco, lucta (de quibus exercitiis notabiles sunt
Hieronimi Mercurialis de arte Gymnastica libri sex)
& quidem stadium certatoribus quod decurrendum,
erat intervallum sexcentorum viginti quinque pe-
dum sive 153. passuum, quia Hercules tantum
spatium uno spiritu emensus erat & tum de-
mum substiterat ad respirandum A GELL lib. 1.
Noct. attic. Præmium victori antiquitus dabatur coro-
na

na primam ex prima, concepta ex ipse unico, pendebat autem illa ex edito loco, & à præcurfore eripiebatur iudicibusq; offerebatur, ad quem sensum Apostolus voce *Comprehendatis* utitur, victor per præconem proclamabatur, & sub corona mitra seu Diadema quoddam *εὐμαχίας* docente Pindaro. sed hæc omnia quomodô ad Christianorum curriculum accommodari possint, suo loco relinquimus, hoc saltem denuo quarimus,


Quis huic quis suam felicitatem inuidebit puero? qui curriculo cursum suum absolvit & præpropere pede metam assecutus, coronam comprehendit vitæ æternæ; Qui ex vasto hujus mundi pelago, (ubi decumanæ vitiorum procellæ obrutos tenent etiam felicissimè navigantes) celerius evasit & portum obtinuit, antequam scivit se eo appropinquasse atqui ita in summa est beatitudine.


Nihilominus nostrum erit mœstissimis parentibus debitam condolentiam ostendere, & quod nobis in simili luctu fieri optaremus, ipsis præstare. *Frequentes* igitur omnes omnium ordinum cives Academici, ut ad horam primam in templo Jacobæo convenire, & deductionem funeris vestra præsentia cohonestare velitis, amanter rogamus & hortamur.


P. P. Sub Sigillo Rectoratus Anno 1650.


4. Januarij.

1650









Quod si tam misera est & tam variis vici-
stræ vitæ conditio, ut tantæ nobis exped-
randæ veniant calamitates, Quod si rec-
stinus, diu vivere nihil aliud esse quam
quam malos dies malis diebus (& peccat
dere: Quod si Plinius rectè dixit naturæ
brevitate vitæ nihil præstitisse melius, ita
optimū esse, aut quam ocyssime abole-
captivus Sölenus Mida victori, quid in n-
esset interroganti, respondisse legitur; Qui
non potius piis votis & gratulationibu-
eos, qui maturius hisce ærumnis defung-
quidem videtur, præsertim parentibus
Venusini.

*Mors & fugacem persequitur
Nec parcat imbellis inventa
Poplitibus, timidoq; ter-*

Et quod inde non adulti tantum juve-
mortis falce cadant, sed modo etiam
comediti vel ab uberibus matris ad hu-
infantuli, modo lepidi terræ affigere g-
cipientes pueruli, modo pulchre pubel-
modo in primo ætatis flore (floris insta-
optimæ spei ac bonæ indolis adolescenti-
us vulgo quidem videretur, si ijs tantu-
sine magno discrimine mori, qui viver-
processerunt! sed quis nescit omnes un-
ctem & semel calcandam esse viam lethi-
serius, ocyus cortyna exire & filium vi-
tacito fato antequam opineris, abrum-

A 3

